



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Vigessim Nonum. Encomium Marianum Trigesimum Quintum et  
Sextum. Consolatrix Afflictorvm Et Avxilivm Christianorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

CAPUT VIGESIMUM  
NONUM.

*Encomium Marianum Trigesimum  
Quintum et Sextum.*

CONSOLATRIX AFFLICTORVM  
ET  
AVXILIVM CHRISTIANORVM.

**A**Nte annos non paucos inventam i-  
maginem Virginis superbenedictæ  
una hora à civitate *Geldriensi* prope pagum  
*Keevelar* cum hac subscriptione *Consolatrix  
Afflictorum* toti mundo notum est: similem  
prodigijs quoque & miraculis celebrem  
in hac *Diœcesi Paderbornensi*, in *Vernensi  
Parochia* cum eadem inscriptione videre  
est: & quam jure merito Virgo beatissima  
hoc nomen & Encomium sit indepta pro-  
bant tot & tam infinita pene beneficia, so-  
lata, sanitarum remedia, infirmis, afflictis,  
ac desolatis, non in corpore solum per  
morborum incurabilium cæcitatibus, gibbo-  
sitas, aliorumque innumerorum curatio-  
nem: sed insuper quoad animam inæsti-

H h 3

mabili

mabili mœstitiâ, peccatis, & gravaminibus  
 pressorū relevationē, & impensam conso-  
 lationem: ut congruentissime fama sancti-  
 tatis notus & Virginis Matris cultor exi-  
 mius *Ioannes Thaulerus* eandē hunc in mo-  
 dum alloquutus & precatus sit: *Quando mi-  
 seros nos premit immensus dolor, cordis metus,  
 aut maror, nec ullus uspiam patet effugiendi lo-  
 cus: hoc unum duntaxat nobis reliquum est ò  
 prestantissima Regina cœlorum Virgo MARIA,  
 ut oculos nostros ad te levemus, & quidem sem-  
 per, maxime vero in extrema mortis hora te  
 benignam adjutricem, & Consolatricem inve-  
 nire optamus. Tu namq; es omnium hominum  
 peccatorum mediatrix apud iudicem vivorum  
 & mortuorum. Itaq; quo quisq; se sentit pluri-  
 bus peccatis irretitum, tanto sibi justius videtur  
 ad te accedere: & quanto est sceleratior, tanto  
 majori jure ad te properare se putat. Tu es uni-  
 cum reorum solamen, unicum peccatorum per-  
 fugium, ad quam respectant, multorum hume-  
 scentes oculi, cui suspirant complura misera, ac  
 saucia corda. Eja ergo illos tuos misericordes o-  
 culos, quos certe à nullo unquam peccatore, nec  
 ab ullo misero destituto, ac desolato homine a-  
 vertere potuisti ad me miserum converte: acci-  
 pe me*

pe me in fidem & tutelam tuam siquidem omnis  
 consolatio & spes mea in te sita est. O quam in-  
 numeri peccatores peccatis dediti, Deum dese-  
 ruerant, omnemq; caelestis patriæ cætum ac De-  
 um ipsum abjuraverant, & in desperationis  
 voraginem sese precipites dederant, atq; à Deo  
 misere separati erant: qui tamen tibi innitentes  
 atque ad te confugientes benignissime servati  
 sunt; donec te intercedente apud Deum in gra-  
 tiam restituerentur. Ecquis tam immanis us-  
 piam peccator est, qui tot flagitijs sese obstrin-  
 xerit quod ullus unquam: qui non idem remi-  
 niscens spem bonam conceperit. Tu sane es unica  
 singularis & fidelissima peccatorum consolatrix.  
 Te immensa Dei bonitas, & benignitas adeo fe-  
 cit cunctis peccatoribus amabilem, ut supera-  
 bundans pietas, & benevolentia tua non possit  
 nos non afficere & recreare. O quoties tremendi  
 iudicis sententiam, aut mitigasti, aut avertisti.  
 O quoties apud filium tuum nobis gratiam, &  
 consolationem impetrasti. Citius cælum cum  
 terra perierit, quam tu aliquem serio te implo-  
 rantem tua ope destituas. Revera tu es, & dice-  
 ris Mater & Regina misericordiae. Eja ergo  
 Mater indulgentissima, Regina clementissima,  
 Domina cæli & terræ, exurge nunc, exurge, &

*mediatricem conciliatricemq̄. te pro nobis exhibe apud filium tuum dulcissimum, ut ipse obtui gratiam cuncta peccata nostra deleat, nosq̄ sibi gratos efficiat: & ad vitam æternam perducatur. Aurea plane verba omnium peccatorum, & afflictorum cordibus sedulo ingerenda: ut dum se desolatos, afflictos, sive peccatorum pondere pressos, aut alia quavis tribulatione divexatos intuentur: mox ad unicam illam, ac promptissimam peccatorum, & ad desolatorum consolatricem Virginem suavissimam, cor & mentem dirigant cum B. Thaulero hanc eandem oratiunculam ex intimis præcordijs repetentes ac dicentes: Quando miseros nos, &c. vel certe cum mellifluo Bernardo serm. Paneg. in hunc modum.*

*Mentem & oculos pariter cum manibus, ad te Regina mundi attollimus, & cor a tua celsitudinis gloria genuflectimus cervicem inclinamus ac plenis suspirijs, ad te preces in cælum transmittimus. Tu altitudo cæli beatos oculos tuos quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis æternæ cū desiderio semper intueris ad tuos supplices in hanc mundi miseriam projectos, de alto inclamare non despicias. Et ecce  
coram*

coram tremendo iudice peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo Domina tam idoneus ut gladio Domini manum pro nobis obijciat, ut tu Dei amantissima: per quam primum in terris suscepimus misericordiam, de manu Domini Dei nostri. Aperi tu itaq; mater misericordie benignissimi cordis tui januam, suspiriosis precatibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terra ad tuæ protectionis umbraculum confugimus à facie fortitudinis Dei. Ad te Domina mea stillant oculi nostri: te devotionis clamore valido obsecramus: ut filij tui Domini nostri iram quam graviter peccando succendimus erga nos mitiges, ejusque gratiam à qua ingrati excidimus nobis tua conciliet: cujus livore sanati sumus ejus iterum medelam deposcimus, quia putruerunt & corrupta sunt cicatrices nostræ, & non est in nobis sanitas. Attende Domina & vide dolores vulnerum animarum nostrarum.

## §. I.

**T**Am vero quod Virgo beatissima revera se consolatricem afflictorum, omniumque sese ex corde invocantium auxiliatricem promptissimam exhibeat, licet præce-

denti Encomio demonstratum sit dum ostensum est, quam pio benevoloque affectu peccatores ad se recurrentes suscipiat, foveat, contra omnes adversos tueatur incurfus, jure merito ab Ecclesia salus infirmorum ac peccatorum refugium nuncupata: nihilominus adhuc pro supplemento illorum quæ dicta sunt, & ut tanto magis omnes ad eam confugiendum animentur pauca superaddenda sunt.

Ostensam aliquando Virginem sacratissimam pallio oblongo vestitam *S. Gertrudi*, sub quo omnis generis animalcula recurrebant, quæ ipsa blande suaviterque suscipiebat ac demulcebat quemadmodum quis solet abblandiri catulo suo: refert *Abbas* pientissimus *Ludovicus Blosius*, per hoc intelligi volens similem in modum sub patrocinium Virginis beatissimæ peccatores confugere, quos illa omnes blande suscipiebat donec filio suo reconciliaret, eorum advocatiam apud Deum in se recipiens.

Olim illam viguisse consuetudinem refert *Quintus Curtius*, quod advocati clientis cujusdam causam in se suscepturi à dextris

dextris suis eum tenerent quasi hoc infinuare volentes se paratos ad eum defendendum à calumniatoribus : miretur quis non immerito cur *Regius Psaltes* magnificentiam ac dignitatem cœlorum Imperatricis depingere volens eam à dextris stantem dicat : *Astitit* inquiens *Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate* : cur non potius à dextris sedentem ? si enim *Magno Gregorio nostro* credamus , sedere regnantis , stare autem pugnantis est : sed facile tolletur causa admirationis ; si eam *Advocatam & Patronam peccatorum* recogitemus . hinc astat à dextris ut se quasi pugnantem pro peccatoribus , se incessanter peccatores in clientelam suam suscipere , gladium & iram Dei in eis comminatam avertere ostendat : unde diserte *Hugo de S. Viçt. lib. 4. de Laud. Virg. Astitit* inquit *Regina à dextris tuis : bene astitit à dextris tuis tanquam nostra Patrocinatrix , gladium evaginandum peccatori impediens : & S. Ambrosius* eandem Virginem inclamans : *Te enim brachium , & manum extendente pro nobis divine ultionis gladius elevatur & contrahitur ,* Nemo enim tam idoneus teste

*Bernar.*



*Bernardo* ut gladio Domini manum pro nobis obijciat ut tu Dei amantissima.

## §. 2.

**G**Ladio ergo & furori Domini ipsa manum pro peccatoribus in tantum opponit ut sæpius Deus se ejus precibus quasi victum affirmet: ad cujus rei confirmationem conducit quod de *Jacob Patriarcha Genes. 32.* legitur: nimirum eum cum Angelo Dei vices gerente per totam noctem luctatum esse: at sole oriente *Jacob* victorem existitisse: *prevaluit ait textus Jacob adversus Angelum & confortatus est*: Inquirunt hic SS. PP. causam cur tota nocte *Angelus*, aurora autem ascendente *Jacob* victor extiterit. *Dimitte me* ait *Angelus* jam enim ascendit aurora: Quid quæso impediēbat Angelicam victoriam? *Oleaster* ait per hanc luctam figurari bellum, & luctam quæ intercedit inter Deum & peccatores: & per victoriam *Jacob* victoriam quam de filio suo sæpissime in peccatorum subsidium reportat Augustissima cœlorum Imperatrix: Hæc est aurora cujus intuitu se victum Deus ipse fatetur *Dimitte me* inquiens jam enim ascendit aurora: De qua olim *Salomon* inquit: *Quæ est ista quæ*

*ista quæ progreditur quasi aurora cõsurgens &c.*  
 Cant. 6. Quem locum in *serm. Paneg.* explicans Bernardus: Te inquit ad Bñam Matrem divini Epithalamij præcentor à longe intuitus est, cum in admirationis voce ita prorupit: quæ est quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol: terribilis ut castrorum acies ordinata? sicut aurora valde rutilans in mundum progressa es ò MARIA, quando veri solis splendorem tanta sanctitatis jubare præcucurristi, ut vere diem salutis, diem propitiationis, diem quem fecit Dominus à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora felicitatis diei nuntia exististi: Talem auroram, talis dies, & talem diem, talis aurora decuit. Et recte quidem aurora implesti officium. Ipse enim sol justitiæ de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens in te lucis sue radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva induxerat, in fugam convertisti: atq; ita desideratum cunctis gentibus solem mundo in-vexisti. Hujus ergo auroræ intuitu, Deus mox bellum & luctam cum peccatore finit: *Dimitte me* exclamans: ac si manifeste dicat sine me abire ò MARIA, concessa sit tibi quamcumque  
 petis

petis gratia, veniam & indulgentiam peccatoribus ad tuam intercessionem, & ob tua merita libenter concedo, neque enim fas est, ut faciem meam à te dilectissima Mater mea avertam, tuasque preces rejiciam: hæcque confirmat *Oleaster*: *Quod igitur magni testamenti Angelus victum se esse ascendente aurora confitetur: nihil est aliud nisi quod MARIÆ aspectu Christus infirmum se esse ostendat, & peccatori dicat: dimitte me jam enim ascendit aurora.*

Miratur *Hugo Cardinalis*, & alij cum eocur Virgo Beatissima ubera suæ turri comparet, *Ubera mea inquit sicut turris, Cantic. 8.* absona enim primo intuitu hæc similitudo videtur: at *Hugo* turrim esse symbolum abundantia pietatis, & misericordia B. Virginis in peccatores inquit: sicut enim in turribus ob earum munitiorem, & altitudinem, facile ab hostium insultibus defendimur: sic ipsa per ubera sua protegit ac defendit miseros peccatores ab ira DEI: Quid enim facilius filium movebit ad annuendum matri quod petit, quam si ubera sua denudet, ac per ea roget inquit: per hæc materna ubera quæ suxisti rogo te &c.

Sic nihil

Sic nihil est quod ita Dei & Virginis filium ad misericordiam moveat, quam ostensa Virginis Matris ubera: infallibiliter ipsa pacem reperit: *Ex quo ait facta sum, coram eo quasi pacem reperiens: ut bene dixerit Hugo Cardinalis, Beata Virgo misericordie suae uberibus lactis suavissimi copia est instar turris, ac proinde ita excelsa ut filios suos non nutriendi tantum, sed & protegendi vim habeat. Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Ipsa reperit pacem inimicis, salutem perditis, indulgentiam reis, misericordiam desperatis. Hugo ne longe suavius S. Arnoldus: securum inquit accessum habet homo ad Deum, ubi mediatorem cause suae filium habet ante patrem, & ante filium habet matrem: Christus nudato latere ostendit patri latus, & vulnera: MARIA Christo pectus & ubera: nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertius, haec clementiae monumenta, & charitatis insignia.*

## §. 3.

**H**anc Virginis sacratissimae in peccatores sollicitudinem, ut manifestius mundo proponat Spiritus sanctus varijs utitur figuris & similitudinibus, quarum una est quod

est quod *pulchra ut luna* asseratur: cum tamen *luna* varijs defectibus obnoxia sit, solet enim *Bernardo* attestante non modo defectum corruptionis, sed & stultitiam mentis designare dum illud Sapientis *stultus ut luna mutatur*: *luna* enim numquam in eodem statu permanet jam accrescit, jam decrescit, jam omnino occultatur: sed causam hujus *Genes. 1.* indicat: qualiter Deus in mundi exordio: *Duo luminaria magna creaverit solem & lunam*, illum ut præesset diei, eumque illuminaret: illam ut præesset nocti, ipsiusque tenebras fugaret: per *duo hæc luminaria* congruentissime intelligitur Christus sol justitiæ & B<sup>ma</sup> Virgo: ille ut diem seu justos quibus divinæ gratiæ lux lucet suo splendore & radijs illuminet; illa ut noctis tenebras à peccatorum mentibus suis radijs & fulgore dispellat: *Duo* inquit *Hugo Cardin. fecit altissimus luminaria: luminare majus, hoc est Christus, ut præesset diei id est justis: luminare minus id est Virgo MARIA, ut præesset nocti hoc est peccatoribus.* Idem insinuat Spiritus sanctus non jam in parabolis sed verbis claris Virginem virginum hunc in modum alloquens: *Si i-*

*gnoras*

gnoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum: Et paulo post: *Pasce hædos tuas*: jam vero per hædos non alios quam peccatores designari hinc liquet quod Dominus iudicium extremum discipulis ob oculos positurus *statuit* ait *oves quidem à dextris suis, hædos vero à sinistris*: oves id est justos à dextris suis, æternis præmijs remunerandos collocabit: hædos seu peccatores æternis pœnis & supplicijs adjudicandos, ad sinistram suam sistet: hos ergo hædos, sponsam suam Virginem beatissimam pascere jubet Spiritus S. ut ejus intercessione & patrocinio ex hædis oves efficiantur, ac à sinistra ad dextram collocentur, æternisque pœnis quibus adjudicandi erant eripiantur: *Pasce hædos tuos* ait *Guilhelmus à Delrio in cap. 1. Cant. qui à sinistris in iudicio erant collocandi, tua intercessione efficies, ut collocentur à dextris.*

## §. 4.

**I**N hujus rei confirmationem plurima suppetunt exempla: integros etenim libros teperias, qui hoc solum agunt, ut Virginis Matris in peccatores pietatem, & benevolentiam per exempla antiqua & nova

demonstrent: unicum è sacris litteris de-  
sumptum hic annectendum est.

Rationes varias conquirunt S. Patres  
ob quas latro bonus, qui vitam pessime  
imo in continuis latrocinijs, gravibusque  
sceleribus transegerat, nihilominus tam  
miro modo in vitæ suæ termino ad melio-  
rem frugem sereceperit, peccata & scele-  
ra sua serio detestatus, eorumque à salva-  
tore ipso remissionem & salutem æternam  
obtinuerit: alij id factum existimant quia  
non ut socius in peccatis obstinatus fuerit:  
sed hoc nullo certo nititur fundamento,  
alij esse sincerum de peccatis dolorem &  
pœnitentiam: sed hujus hic causam quæri-  
mus quare ipsi potius quam alteri seria ad  
pœnitendum gratia data sit: *S. Vincent. serm.*  
*6. in parasce.* hoc prodigium umbræ Christi  
hunc latronem obumbrantis, & tangentis  
asscribit: Sancti vero *August. & Chrysostr.* in-  
victæ Salvatoris nostri è cruce pendentis  
mansuetudini & patientiæ qua etiam a-  
trocissima inter tormenta pro inimicis &  
crucifixoribus suis adhuc nefario operi  
intentis oxoravit. *Origenes* & alij arbitran-  
tur prodigia & portenta obscuracionis so-  
lis, &

lis & aliorum quæ Christo in cruce pendente acciderunt motiva fuisse conversionis: optime omnes: sed proposito nostro conformius quidam non contemnendæ auctoritatis Doctores, inter quos sunt *Petrus Dam. Hesichius Ierosolym. Dion. Carthus.* & alij, hujus boni latronis conversionem, precibus & intercessioni Virginis Matris ascribunt: quidam enim ex *S. Anselmo* teste *Carthagenalib. 12. Hom. 2.* referunt matrem virginem cum infante JESU & sponso *Iosepho in Ægyptum* proficiscentem in manus latronum incidisse, quorum unus nomine *Dismas* infantis pulchritudinem ac singularem vultus splendorem admirans dixit: *Si fieri posset Deum carnem assumere, non dubitarem infantem hunc Deum esse,* ejusque precibus reliqui latrones placati sacros hos viatores illæsos dimiserunt: Dicunt ergo Virginem Matrem hujus beneficii memorem, suam intercessionem, & preces ad filium pro eo interposuisse: & ei gratiam hanc impetrasse, ut divina inspiratione & auxilio præventus cœperit peccatorum suorum enormitatem agnoscere, ea ex corde detestari, & se toto corde ad De-



um coram se crucifixum convertere. *Petrus Dam. Idcirco inquit respuit bonus latro, quia Beata Virgo inter crucem filij & crucem latronis posita, filium pro latrone deprecabatur hoc suo beneficio antiquum latronis beneficium, & obsequium recompensans.*

§. 5.

**S**ed & inexplicabilem illum Beatissimæ Matris Virginis erga peccatores affectum ipse Evangelista insinuat eam infra crucem stantem asserens : *Stabant autem juxta crucem IESU Mater ejus, & soror matris ejus &c.* Et Ecclesia : *Stabat Mater dolorosa juxta crucem lachrymosa, dum pendebat filius.* Verba *Evangel. Alexander de Ales & Seraph. Bonavent.* explicantes, investigant quo loco steterit an ad sinistram, an ad dextram crucis, cum *Evangelista* solummodo eam juxta crucem stetisse asserat, loci autem quo steterit nullã faciat mentionem; respondent autem unanimi consensu stetisse à sinistris, tum quod Christus ipse fateatur per *Pf. 141. Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me:* certe si mater ad dexteram stetisset, utique & ille ipsam, & illa ipsum cognovisset: tum quod

quod sinistra sit locus reproborum juxta illud *statuet oves à dextris, hédos autem à sinistris*: pendeat autem Christus in cruce facie ad orientem versa: sic enim ait *Germ. Patriarcha Constant. Beata Virgo pingi debet ad sinistram crucis, quia Christus in cruce faciem tenebat ad orientem, Virgo vero ad sinistram, id est ad aquilonem: si queras ab eo: Cur ó sanctissime Doctor Virgo debet pingi ad sinistram, cur faciem tenere ad aquilonem? ut oraret respondet pro peccatoribus: ut te & quem vis alium peccatorem ab ingruentibus gravissimis, imo æternis malis defenderet: ab aquilone namq; Hieremia teste pandetur omne malum: faciem ergo tenebat ad aquilonem ut à te aquilonares tentationum ventos averteret, faciem tenebat ad aquilonem, ut te frigore, & odio inimicorum constrictum resolveret, & mediante gratia Dei liquefieres, & remitteres injuriam proximis ut oraret inquam pro peccatoribus. Est ergo & quoad usque stabit mundus erit Afflictorum consolatrix & Christianorum auxilium Virgo beatissima ubique suis auxilijs & consolationibus celebris vix enim aliquam Dicecesim vel territorium in Europa invenias, quin sit aliquamira-*

raculosa SSmæ Matris statua vel imagine venerabilis: mille ducentas tales in suo *Atlante* MARIANO *Guilhelm. Gumpenbergs* numerat.

Inter quas non immerito numeratur illa quam *Cathedrale Hildesense templum* inscripta sub titulo MARIA *Vindicatrix*, miraculis celeberrimam asservat: Vindicatrix indubie dicta quia se & suos de hostibus vindicare, & illis auxilium præstare non cessat: constat namque ex ejus *Ecclesie Annalibus* & alijs scriptoribus illius Dicecesis antistites hujus magnæ Matris patrocinio & auxilio insignes de hostibus sæpe reportasse victorias.

Anno 1367. cum *Theodoricus Magdeburgensis* & *Albertus Halberstadiensis Ecclesiarum Presules* cum *Ottone Brunsvicensium Duce*, in *Gerardum 38. Hildesensem Episcopum* arma sumpsissent, ille magnæ Ecclesiæ suæ Patronæ præstito voto, parva suorum manu adversus ingentes copias dimicavit: cæsi hostium 1500. sed & *Archi-Episcopus Magd.* & *Episcopus Halberstadiensis* cum *Ottone Duce* captivi gloriam victoriæ auxerunt. Hujus hodie adhuc superest monumentum, ædicula

ædicula choro imposita quam ea propter victor Episcopus auro vestiri fecit *Auth. anon. Ehrsclaub. apud Lindebrog. Brosch. in catal. Episc. Hildes.*

Sic & majorum nostrorum memoria Anno 1500. *Illustrissimus VValtherus à Plettenbergh Ord. Teuton. per Livoniam magister,* excelsi animi heros cum ante solemnes Letanias triduo servandas indixisset: magnæ suæ Tutelaris & Patronæ auxilio cum duodecim solum suorum millibus contra centum triginta millia *Tartarorum & Moscovitarum* tam fortiter dimicavit, ut ad centum millia, uno solum è suis desiderato ferro deleverit: *Thom. Botzio de sign. Eccles.* hoc ipsum tantis Encomijs celebrante, ut asserat nihil se simile invenire in tota antiquitate, vide *Bredenb. VValtherus*, de in teste *Dörhoff in dedic. spec. juventutis*, ante Rigensem arcem in concessæ magnificæ illius victoriæ & grati animi tesseram magnæ & admirabilis Matris honori eximij artificij statuam ad perpetuam miraculosei triumphii memoriam collocari, & monetam auream cum ejusdem effigie cudi curavit, vide *Botzium de sign. Eccles. tam 1. de Bredenb. de bello Livoniae Beijerlinck, in Theat. in tit. Equites.*

*Alphonsus IX. Castellæ Rex sub ann. 1212.*  
 prælata in vexillis Virginis Deiparæ imagi-  
 ne gloriosa de *Sarracen.* victoria occisis cen-  
 tum fere ipsorum millibus potitus est *Ray-*  
*noldus in annal. Eccles. ad hunc annum.*

Idem à magna Matre *Christianorum*  
*auxilio* sequenti anno *Leodiensis Antistes* ad-  
 versus *Brabantie Ducem* extrema Ecclesiæ  
 suæ minitantem expertus est. *Raynaldus ad*  
*illum annum.*

Nec minus memorabilis Christianissi-  
 mi Regis *Ludovici*, Anno 1249. adversus  
*Sarracenos*, Virginis Matris patrocinio ob-  
 tenta victoria *Nangius in gest. S. Ludov. Reg.*

Quid memorem pugnam & victoriam  
*Naupactensem*, magnæ & admirabilis Ma-  
 tris auxilio contra *Turcas* reportatam: prius  
 vox & lingua, prius calamus, charta & atra-  
 mentum deficient quam auxilia innume-  
 rabilia à Virgine Deipara Christianis im-  
 pensa describere.

Ad te igitur unicum peccatorum refu-  
 gium & desperantium asylum, Virgo super-  
 benedicta nos miseri peccatores varijs,  
 horridisq; criminibus irretiti confugimus,  
 sub tuum præsidium & protectionem deli-  
 tescere

tescere quærimus. Tu illos misericordes tuos oculos quos à nullo unquam desperatissimo peccatore avertere potuisti, ad nos miseros converte, ut tuis freti precibus & præsijs unico filio tuo reconciliemur, æternasque pœnas quas millies & ultra hætenus meruimus evadere mereamur. Loquere Domina quia audit filius tuus & quæcumq; pro nobis petieris impetrabis, gratiam in præsentibus & gloriam in futuro. Invoca bonum nomen ejus super nos, ut curemur à vetusta hac lepra carnis & spiritus. Te Domina exorantè omne jugum nostrum computrescat à facie olei divinæ misericordiæ: renovetur ut aquilæ juvenus nostra ut novi nova voce novum canticum novis civibus aggregati illic ubi nova sunt omnia, jubulum sempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus.

## CAPUT TRIGESIMUM.

*Encomium Marianum Trigesimum  
Septimum.*

## REGINA ANGELORUM.

**I**am paulatim ad finem encomiorum Lectaniarum Lauretanarum properamus.